



Iohannes ille Friburgi in Brisgaudia natus & educatus est. Postea uero ut commodius literis operam dare posset, Dominicanorum ordinem ingressus est. Ibi diligentissimam operam studijs impendit, ut breui tempore philosophus, iureconsul tus, & Theologus dici & haberri coepерit. Vitae etiam innocentia erat insignis. Itaque factum ut propter eruditionem & sanctitatem Episcopus Bossiensis in Vngaria electus fuerit. Cum autem in ea dignitate aliquandiu perseuerasset, atque fastum clericorum aulaeque negotia fastidiret, Episcopatum reliquit, atque ad suum ordinem rediit. In eo postea decedente Raymundo Generalis magister constitutus est, sub Friderico secundo Cæfare, anno post natum Christum millesimo, ducentesimo, quinquagesimo. Inter alia modum confitendi composuit, atque opus libris quinque distinctum Summam confessorum inscripsit. Tandem moriens in conuentu suo Argentinensi sepultus est, ubi etiam aliquot miraculis claruisse fertur. Trit.